

14, v. 6 *appositus est ad populum Israël*, h. e. a iudaeis fuit admittus in partem honorum, privilegiorum, et nationis suae dignitatum, ut sic illius fidem et officia (1), quae populo Dei praestiterat, remunerarentur. Quamvis enim nequaquam vetitum fuerit ammonitis, moabitibus, uti neque etiam chananaeis, sese ad Deum verum convertere, atque ita in Domini coetum admitti; tamen iudaeis propter citatam legem non licebat, eos in partem vocare honorum et privilegiorum populi iudaici, saltem nisi in casu raro, et ex dispensatione ob singulare meritum aut virtutem, qualis etiam in *Achiore* eluxit. Ita hanc difficultatem solvit etiam *d. Thomas* (2) his verbis respondens: Dicendum, quod « homines nullius gentis exclusit lex a cultu Dei et ab his, quae pertinent ad animae salutem; dicitur enim Exod. 12: *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam... circumcidetur prius omne masculinum eius, et tunc rite celebrabit, eritque sicut indigena terrae.* Sed in temporibus quantum ad ea, quae pertinebant ad communitatem populi, non statim quilibet admit-

SECTIO III.

DE LIBRO ESTHER

Hic liber regis *Assueri* magnificentiam, *Amanis* contra iudaeos consilium, et ex hoc imminens illis periculum; ab *Esthere* tamen feliciter depulsum, iudaeorum exinde tripudium, et *Mardochoei* exaltationem capitibus sedecim enarrat. Ex his septem ultima capitula *Hieronymus* non ex hebraeo, sed ex graeco textu in latinum transtu-

(1) Vide Iudith c. 5 et 6.

(2) 1, 2, q. 403, art. 3.

tebatur... Sed quidam in tertia generatione, scilicet aegyptii, idumaei: alii vero perpetuo excludebantur in detestationem culpae praeteritae, sicut moabitae, et ammonitae, et amalecitae... poterat tamen dispensatione aliquis in collegium populi admitti propter aliquem virtutis actum, sicut Iudith cap. 14 dicitur, quod *Achior* dux filiorum Ammon *appositus est ad populum Israël, et omnis successio generis eius.* » Ita doctor angelicus.

65. QUÆRES XXI. *Quomodo* (Iudith 16, v. 28) *de Iuditha dici possit: DEFUNCTA EST AC SEPULTA CUM VIRO SUO IN BETHULIA; cum tamen textus graecus* (Iudith 8, v. 3) *affirmet quod Manasses Iudithae maritus sepultus sit cum patribus suis in agro, qui est inter DOTHAIM ET BALAMON?* R. Nomine *Bethuliae* hic intelligitur totus ager adiacens *Bethuliae*; sicut l. 2, et l. 139, et l. 147 ff. de verborum signif., *Romae nati intelliguntur, qui in ea continentibus aedificiis nati sunt, etsi non intra murum etc.* Ita et *Bethuliae* sepulta *Iudith* dicitur, quia in continenti agro sepulta fuit.

lit; cum illa hebraice non reperiret. Caeterum iam saeculo tertio *Origenes* (3) advertit, librum *Esther* non integre hebraice, sed partim hebraice, partim graece extare, scribens ad *Iul. African.* his verbis: « In libro *Esther* neque *Mardochoei*, neque *Esther* preces, quae legentes possint aedificare, habentur apud hebraeos; sed neque epistolae, neque quae ab

(3) Epist. ad *Iul. African.*

Aman scripta est de eversione gentis iudaeorum, neque *Mardochoei* ex nomine regis *Artaxerxis* gentem a morte liberans. Apud septuaginta autem et *Theodotionem* ea sunt, etc. » nempe graece. Porro auctor l. *Esther* potissimus iuxta plerisque omnes scriptores et interpretes hebraeos, graecos et latinos fuit *Mardochoeus*, idque liquet ex libri huius cap. ix, v. 20, ubi legimus: *Scriptis itaque Mardochoeus omnia haec, et literis comprehensa misit ad iudaeos, etc.* Dixi auctor potissimus; nam aliquid operae ad conscribendum hunc librum contulisse reginam *Esther*, colligitur ex cap. ix, v. 29, ubi explicate in textu graeco legitur: *καὶ ἔγραψεν Ἐσθήρ ἡ βασίλισσα... καὶ Μαρδοχαῖος... ὅσα ἐποίησαν etc.* Et scripsit *Esther* regina... et *Mardochoeus*, quanta fecerunt, etc. Potuit praeterea volumen hoc in ordinem redigi et nonnullis additamentis instrui vel a *Ioachimo* summo pontifice, vel ab *Esdra* scriba doctissimo, aut viris magnae synagogae, prout in horum vel illorum tempora haec historia incidit.

66. QUÆRES I. *An liber Esther sit vera historia, vel potius drama quoddam, in quo primarias quasi personas sustinent Esther, Mardochoeus et Aman?* R. Est vera historia. Quamvis enim anabaptistae, et auctor scripti gallici, cuius titulus: *Sentiments de quelques théologiens de Hollande lett. 8 et 11*, cum quibusdam aliis dicant, esse hanc totam narrationem in libro *Esther* contentam tragoediae similem, et adiuncta pleraque sapere fabulas asiaticas, nec praeferre illum candorem naturalem, ac consuetos historiae characteres: facilis tamen est, et solida ad hanc obiectionem responsio. Nam, ut *cl. Weissenbach* (1) re-

(1) Tom. 2 novae formae theol. bibl. lib. 4, q. 15, pag. 470 et 471.

cte ait, si in historia, praesertim *barbara*, velimus singula ad leges verisimilitudinis exigere, praecipui quidam historici tam sacri, quam profani, de quorum sinceritate in hunc diem nemo dubitavit, ad tragoedos omnino et scriptores fabularum ablegandi forent. Plura de tota hac quaestione *Calmetus* praefat. in librum *Esther* disserit.

67. QUÆRES II. *Quis fuerit ille rex medorum vel persarum, qui in libro Esther* (cap. 1 et in aliis pluribus locis) *Assuerus* vocatur? R. Quod non possimus pro certo dicere, quis ille rex sive medus, sive persa fuerit, qui hic nomine *Assueri* venit, parum sollicitos habere nos debet. Quam multa enim apud profanos non minus obscura et implexa, quae in ista temporum distantia hanc ob causam in suspicionem vocare, amentis fuerit; quia tolleret humanam fidem, omnemque historiam labefactaret. Quare sicut mala est haec argumentatio: Sciri certo non potest, quis fuerit ille sponsus, cuius nuptiae *Ioan.* cap. 2 referuntur: ergo evangelium *Ioannis* falsa narrat, nec est liber canonicus. » Ita similiter male concludit haec argumentatio: « Certo sciri non potest, quis fuerit ille *ASSUERUS*, aut quo tempore regnaverit, de quo in libro *Esther* narratur, quod *Estherem* uxorem duxerit: ergo liber *Esther* falsa narrat, nec est canonicus. » Nimirum, licet propter temporis antiquitatem, et auctorum varia placita certo determinari non possit historiae *Estheris* tempus et rex, sub quo ea contigit, non ideo libri huius fides, aut historiae veritas in dubium vocanda est. Ceterum circa intricatissimam hanc quaestionem de *ASSUERO Estheris* marito octo potissimum diversae versantur sententiae, quae magnis se-

singulae auctoribus commendant. I. *Gerardi Mercatoris* et aliorum, qui *Astyagen* Cyri avum maternum, sponsum *Estheris* putant. II. *Cedreni* et aliorum, qui *Darium medum* maritum *Estheris* designant. III. *Nicolai Lyrani* et aliorum, qui hebraeos secuti *Cambysen* Cyri magni filium *Estheris* coniugem fuisse contendunt. IV. *Fevardentii* et aliorum qui *Darium* filium *Hystaspis Estheris* virum asserunt. V. *Iosephi Scalligeri* et passim protestantium, qui *Xerxem* magnum, invasorem Graeciae, maritum *Estheris* esse contendunt. VI. *Iosephi, Bellarmini* et aliorum, qui *Artaxerxem Longimanum* sponsum *Estheris* faciunt. VII. *Eusebii* et aliorum, qui *Artaxerxem Mnemonem* ad hoc peridoneum existimant. VIII. *Serarii* et aliorum, qui historiam *Estheris* sub *Ocho* sive *Dario Notho* evenisse autumant. Quibus autem quaeque praedictarum sententiarum argumentis probetur, aut impugnetur, erudite ostendunt *Didacus a s. Antonio* (1), et *F. Martinus Wouters* (2). Nobis tantum temporis non vacat ab aliis officiis nostris, ut his examinandis diutius insistamus, tantasque lites dirimamus, quippe quae librum *Estheris* ipsum non spectant, sed unice interpretum coniecturas de huius historiae tempore (3). Id solum addo, nomen *Assuerus* non esse proprium unius hominis, sed commune regum medorum et persarum, sicut supra (4) de nomine *Nabuchodonosor* diximus, fuisse nomen commune regum apud babilios.

68. QUÆRES III. *An liber Esther sit canonicus?* R. affirmative. Nam in

(1) Enchirid. tom. 1.

(2) Dilucidation, part. 4.

(3) Vide supra simile quid de libro Iudith dictum n. 27, schol. 2.

(4) Num. 50, q. 6.

concilio carthaginensi III, in epist. *Innocentii I* et in decreto *Gelasii I* papae, in concilio florentino et tridentino supra (5) allegatis inter canonicas Scripturas numeratur, adstipulantibus hebraeis, teste *Iosepho* (6), plurimis patribus et ecclesia tam graeca, quam latina. At

OPPONES I. Librum *Esther Melito* sardensis in catalogo librorum canonicorum non ponit. Similiter *Iulianus* episcop. africanus saeculo VI, et *Gregorius Nazianz.* in recensione librorum canonicorum historiam *Estheris* silentio praetermittunt. R. *Melitonis* catalogum suis laborare naevus supra (7) ostensum est; id quod etiam protestantes, *Melitonis* canonem alias summis laudibus depraedicantes, fateri hoc loco debent, teste *Carpzovio* (8). Silentium porro quorundam patrum argumentum est nihil ponderis habens adversus contrariam testimoniorum nubem.

OPPON. II. In universo textu hebraico libri *Esther*, non occurrit *Dei* nomen: ergo indicium est, quod hic liber non sit theopneustus, adeoque nec canonicus. R. Ad hoc argumentum responsionem quaerant protestantes, qui hoc tanquam *σημειον* criterio canonem catholicorum subinde oppugnant. Nobis diserta *Dei* appellatio librum nec reddit canonicum, nec eiusdem commissio canonica cuiusdam libri auctoritati derogat. Sufficit, librum ab ecclesia in canonem referri et argumentum Deo dignum in eo tractari.

OPPON. III. Liber *Esther* caret approbatione Christi et apostolorum in N. T., ergo non est canonicus. R. neg. cons. et suppositum, necesse omnino esse, ut pro astruenda

(5) Quaest. 1, n. 2-5.

(6) L. 1 contra *Appionem*.

(7) Num. 7.

(8) Introduct. ad lib. bibl. part. 1, pag. 568.

libri e veteri Testamento auctoritate canonica, eiusdem clara testimonia proferantur in libris novi Testamenti; istam sacros libros discernendi regulam nusquam invenias. Quin si haec obtineret, plures V. T. libri praeter I. *Esther* migrarent e canone, e. g. liber *Iudicum*, *Ruth*, I. et IV. *Regum*, I. et II. *Paralipomenon*, *Esdrae* et *Nehemiae*, *Cantici Canticorum*, *Abdiae*, ex quibus nulla testimonia desumpta in libris N. T. extant. Num ideo divinae horum librorum auctoritati labes adhaerescit? Absit.

OPPON. IV. In libro *Esther* nec vestigium apparet alicuius de mittendo Messia oraculi, cum tamen vetus Testamentum ad Christum, eiusque ecclesiam passim alludat: ergo liber *Esther* non videtur esse genuinus liber veteris Testamenti. R. Neque isto tanquam libri divini criterio utuntur catholici. Colligere autem inde possunt protestantes, inquit *Hermannus Goldhagen* (1), quam ruinosam fundamenti loco regulam ipsi posuerint, cum defectum eiusmodi pro caractere libri apocryphi assumpserunt, quam hic fallere ipsi vident et fatentur; nam ipsimet librum *Esther* agnoscunt esse canonicum, exceptis additamentis a v. 4 capitis x usque ad finem (2). Caeterum etiam liber *Esther* ad Christum, et huius ecclesiam, ac sanctissimam Christi matrem Mariam certa ratione pertinet, quia historia *Estheris* illustres horum omnium typos continet: uti *Oliverius Bonartius*, alique praeclari eiusdem libri commentatores copiose ostendunt.

(1) Introduct. in s. Script. p. 2, sect. 2, n. 406.

(2) Vide sequentem quaest. 5.

(3) Vide supra quaest. 1, v. 2-5.

(4) Vide versionem lib. *Esther* a s. Hieronymo factam, seu nostram vulgatam latinam, ubi post versum tertium cap.

69. QUÆRES IV. *Num additamenta libri Esther a v. 4 capitis x usque ad finem huius libri canonice polleant auctoritate?* R. et dico cum catholicis contra protestantes: additamenta haec non secus ac priora novem *Estheris* capita pollent auctoritate canonica. PROB. I. Ex gravissimis monumentis, quibus catholicus canon sacrorum librorum innititur, ut iam alibi (3) ex instituto a nobis ostensum est. Nam tam concilium carthaginense III, quam *Gelasius I* et *Innocentius I* summi pontifices, item florentinum et tridentinum, et ecclesia graeca etiam schismatica sub *Dositheo* patriarcha an. 1672 librum *Esther* citra ullam distinctionem capitum priorum a posterioribus in numero librorum vere canonicorum reponebant: et cum tempore, quo Tridenti concilium celebrabatur, protestantes de illis additamentis libris *Esther* litem moverent, decretum eiusdem concilii de canonicis Scripturis munitum celebri hac clausula fuit: « Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, anathema sit. » Atqui in veteri vulgata editione habentur illa 7 ultima capita, utpote ex graeco textu (in quo dicta capita pariter extant) in antiquam italicam vulgatam dictam translata, teste *Hieronymo* (4), et etiamnum leguntur in ecclesia; nempe caput 13 l. *Esther* legitur feria iv dominicae II quadragesimae; quod etiam

40, libri *Esther*, legitur nota interlinearis s. *Hieronymi*, concepta his verbis: *Quae habentur in hebraeo, plena fide expressi; haec autem, quae sequuntur (nempe ultima 7 capita), scripta reperi in editione vulgata (seu in veteri itala) quae graecorum lingua et literis (seu in textu graeco) continentur.*

fit in lectione missae contra paganos, et in introitu missae dominica XXI post Pentecosten. Similiter dom. XXII post Pentecosten offertorium missae sumptum est ex cap. 14 l. *Esther*.

CONFIRMATUR. Dicta 7 capita l. *Esther* sunt in antiqua itala vulgata dicta, ut ex s. *Hieronymo* modo dividimus: atqui antiqua itala vulgata dicta primis ecclesiae saeculis fuit canonica: ergo adhuc est: quod enim semel fuit authenticum ac canonicum, tale manet.

70. PROB. II. Ex auctoritate pp. tam graecorum quam latinorum (1), qui intersacros libros volumen *Esther* numerant, et haud dubie de eo volumine sunt locuti, quo tum ipsi, tum ecclesia universa eo tempore utebatur. Utebatur autem eo tempore universa ecclesia libris sacris iuxta eam editionem, quam s. *Hieronymus* praefatione in librum *Esther* et saepe alibi *Vulgatam* appellare solet, quae, ut ipse (2) ait, septem illa capita libri *Esther* continet. Quare si concilia et patres librum *Esther*, qualem ipsi legere consueverunt, in sacrum canonem retulerunt, certe librum integrum, atque his septem adiunctis capitibus retulerunt.

Verum patres non modo librum ipsum *Esther* inter sacros numerant, sed etiam ex postremis septem capitibus non raro testimonia petunt. Sic s. *Io. Chrysostomus* (3) citans ex libro *Esther* cap. 14, v. 13 ait: « Fuit quaedam mulier hebraea, *Esther* erat ipsi nomen: haec *Esther*.... divinae clementiae supplicabat.... et talia orans verba

(1) Tales teste *Bellarmino* (lib. 1 de Verbo Dei c. 7) sunt *Origenes*, *Cyrillus*, *Damascenus*, *Hilarius*, *Augustinus*, etc., quos citat.

(2) Loc. cit. nempe in sua versione ultimarum 7 capitum libri *Esther* ex graeco in latinum, post capitibus 10 versum ter-

ad ipsum dabat: Grata, Domine, fac verba mea, et da sermonem ornatum in os meum. » Similiter s. *Basilius* (4) citans ex l. *Esther* cap. 14, v. 11 inquit, sapientissimam *Esther* orasse: « Non tradas, Domine, sceptrum tuum iis, qui non sunt. » Et *Rupertus* abbas *Tuitiensis* (5) ex eodem capite citans v. 13 et 14 ait: « quod sacer ecclesiae chorus per singulos annos statutis diebus declamet ante Dominum » citatos versus: « Everte cor eius, scilicet regis in odium repugnantium nobis.... nos autem libera in manu tua etc. » Praeterea s. *Augustinus* (6) citans eiusdem cap. 14, v. 16 ait: « *Esther* illa regina Deum timens... cum extremo periculo, non suo tantum, sed gentis suae.... Domino prosterneretur orando, in ipsa oratione dixit, ita sibi esse ornatum regium, sicut pannum menstruaem, et ita orantem confestim exaudivit, qui cordis inspector eam verum dicere scivit. » Et alibi (7) idem s. pater loquens de l. *Esther* cap. 14 et 15 manifeste declarat, haec capita esse canonica, seu divinam Scripturam. Nam ita disserit: « Quid est autem, quod *Esther* illa regina (cap. 14, v. 13) orat et dicit: *Da sermonem concinnum in os, et verba mea clarifica in conspectu leonis* (i. e. regis *Assueri*), et converte cor eius in odium impugnantis nos? Ut quid ista in oratione dicit Deo, si non operatur Deus in cordibus hominum voluntatem?... Et.... intuitus est eam (Rex), sicut scriptum est (intelligit s. doctor caput 15 l. *Esther*

tium; prout praecedenti nota (4) observavimus.

(3) Homil. 5 ad populum antioch., 4.

(4) L. 2 contra *Eunomium*.

(5) L. 8 de victoria Verbi Dei, c. 12.

(6) Epist. 199 ad *Ecdiciam*.

(7) Lib. 1 contra 2 epist. pelagianorum c. 20.

v. 3, 10 et 11) *velut taurus in impetu indignationis suae. Et timuit regina, et conversus est color eius per dissolutionem.... Et convertit Deus* (cor regis) *et transtulit indignationem eius in lenitatem*. Iam sequentia commemorare quid opus est, ubi Deum complevisse, quod illa rogaverat, divina Scriptura testatur operando in corde regis? Quid aliud, quam voluntatem, qua iussit, et factum est, quod ab eo regina poposcerat?... Deus... cor regis, antequam mulieris sermonem poscentis audisset, occultissima et efficacissima potestate convertit et transtulit ab indignatione ad lenitatem, hoc est, de voluntate laedendi ad voluntatem favendi, secundum illud apostoli (ad *Philipp.* 2, v. 13): *Deus est enim, qui operatur in vobis et velle*. Numquid homines Dei, qui haec scripserunt, imo et ipse Spiritus Dei, quo auctore per eos ista conscripta sunt, oppugnavit liberum hominis arbitrium? Absit: sed omnipotentis in omnibus et iudicium iustissimum, et auxilium Dei misericordissimum commendavit. » Ex quibus verbis s. *Augustini* manifeste patet, quod is etiam ultima septem capita l. *Esther*, nominatim caput XIV et XV, agnoverit esse canonica; nam ea recitatis modo verbis expresse vocat DIVINAM SCRIPTURAM seu monumenta DEO AUCTORE PER HOMINES DEI (i. e. per scriptores theopneustos, seu a Deo inspiratos) CONSCRIPTA. Denique id ipsum etiam *Origenes* aperte docuit. Nam in epistol. ad *Iulium* africanum (1) hanc ipsam partem libri *Esther*,

quae in hebraeorum voluminibus non habetur, sacram et canonicam esse demonstrat. « In libro, inquit *Esther*, neque *Mardochei*, neque *Esther* preces (vide in nostra vulgata latina l. *Esther* cap. 13 et 14), quae legentes possunt aedificare, habentur apud hebraeos, sed neque epistolae, neque quae ab Aman scripta est de eversione gentis iudaeorum (ibid. cap. 13), neque *Mardochei* ex nomine regis *Artaxerxis* gentem a morte liberans (ibidem cap. 16). Apud Septuaginta autem et *Theodotionem* ea sunt. » Et infra pergit his verbis: Vide ergo, ne imprudentes et inscientes abrogemus exemplaria, quae habentur passim in ecclesiis, et legem statuamus fraternitati, ut deponant quidem sacros, qui apud eos feruntur, libros, assententur autem hebraeis, et persuadeant, ut nos puris (hebraei) impertiant, et qui nihil habeant figmenti. An non providentia in sanctis Scripturis dedit omnibus Christi ecclesiis aedificationem? Non curam gessit eorum, qui empti sunt pretio, pro quibus Christus est mortuus?

CONFIRMATUR. Septem ultima capita l. *Esther* non solum iam antiquitus nullo facto discrimine inter priora et posteriora capita huius libri lecta fuere in graecis, latinisque bibliis, quibus ecclesiae utebantur, sed etiam legebantur ab ea iudaicae ecclesiae parte, quae *hellenistas* seu iudaeos graecos (2) complectebatur; lecta insuper sunt a *Iosepho* iudaeo (3): a LXX interpretibus, et a *Theodotione*, prout

(1) Haec epistola invenitur in fine operis, cui titulus: *Origenis Philocalta*.

(2) Vide supra num. 5, argum. 4, nota (1).

(3) *Iosephus* iud. maiorem additamentorum l. *Esther* partem antiquitatibus suis inseruit, alias professus, nihil relatum

a se iri, nisi quod hebraico sermone (i. e. in textu sacro hebraico) scriptum esset. Vide *Iosephum* antiq. lib. 10 c. 6. Quamvis igitur de facto (imo iam tempore *Origenis*) illa additamenta non extant hebraice, primitus tamen in hebraeo extabant.

Origenes (1), et s. *Hieronymus* (2) testantur: ergo eadem 7 ultima capita iam ab antiquissimis temporibus tanquam pars canonica divinae Scripturae suscipiebantur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA
PROTESTANTIUM

71. ARGUM. I. Liber *Esther* originaliter hebraeo sermone scriptus est: ergo 7 ultima capita, quae in hebraico non extant, sine dubio censeri debent supposititia. R. Nego cons. Quamvis enim non extent in textu hebraeo moderno, extabant tamen in hebraeo veteri, ex quo LXX interpretes ea in idioma graecum transtulerunt. Namque *Origenes* (3) testatur, illa 7 capita apud *Septuaginta* et *Theodotionem* fuisse. Praeterea *Iosephus* (4), dum historiam *Esther* narrat, duas epistolas *Assueri*, et orationem *Mardochoaei*, quae in ultimis 7 capitibus continentur, non praetermittit: cum tamen nihil horum nunc in hebraeorum codicibus habeatur: neque credibile est, a *Iosepho* haec esse conficta, aut aliunde quam ex hebraeo desumpsisse, cum ipse idem alibi (5) expresse testetur, se sua ex textu hebraeo desumpsisse, neque aliquid addidisse. Verba eiusdem sunt: « In ipso historiae meae principio propter eos, qui quaestionem faciunt, aut in aliquo culpae nituntur, astruxi dicens, translaturum me libros hebraicos in eloquium graecum: et hos volentibus aperire, neque adiciere me aliquid seorsum, neque subtrahere me promittens. »

SCHOLION. Ad quaestionem, quomodo factum fuerit, ut in moderno textu hebraeo ultima 7 capita non amplius existant, respondet *Bellar-*

(1) In epist. ad *Iulium Africanum*.

(2) In nota interlineari suae versionis 1. *Esther*, c. 10, post 3 vers.

(3) In epist. ad *Iulium Africanum* ad

minus (6), duas fuisse editiones hebraicas libri *Estheris*, alteram, quae adhuc extat, quaeque brevior est; alteram ulteriorem, quae intercidit, sed ex qua prodierit graeca interpretatio. Atque haec adornata ab *Lysimacho* est, a qua versione verisimiliter additamenta, nunc ad calcem libri *Estheris* adiecta habemus: quo autem fato interciderit versio LXX interpretum, non constat; quamvis in bibliis polyglottis *Waltoni* textus graecus 7 ultimorum capitum libri *Estheris*, quem etiamnum habemus, attribuitur LXX interpretibus. Ceterum *Huetius*, qui synagogae magnae librum *Estheris* attribuit, complures ad eum scribendum existimat adiecisse animum, indeque factum esse, ut diversa eius prodierint exemplaria, unum quod habemus, alterum locupletius, ex quo quae habemus graeca, cum additamentis fuerint derivata. Ex quo patet, sententiam *Huetii* hac in re coincidere cum sententia *Bellarmini*.

72. ARGUM. II. s. *Hieronymus* praef. in 1. *Esther* ait: « Librum *Esther* variis translationibus constat esse vitiatum: quem ego de archivis hebraeorum revelans, verbum e verbo expressius transtuli. Quem librum editio vulgata laciniosis hinc inde verborum sinibus trahit, addens ea, quae et tempore dici poterant et audiri: » ergo haud obscure reiecit septem postrema capita libri *Estheris*, tanquam additamenta, quae quidem in vulgata extant, sed in hebraeo nec hodie, nec tempore *d. Hieronymi* extabant. R. I. Haec scripsit s. *Hieronymus* antequam ecclesia illa 7 capita declararet esse canonica adeoque

finem praecedentis num. citata.

(4) L. 11 antiq. c. 6.

(5) L. 10 antiq. c. 12.

(6) L. 1 de verbo Dei, c. 7.

etiamsi hoc loco nobis contradiceret, cum reverentia esset hic deservendus. R. II. S. *Hieronymus* loc. cit. nomine *Vulgatae* non intelligit nostram vulgatam latinam, quae tunc nondum erat perfecta, sed carpit graecas libri *Esther* versiones, quae tum non sine extraneis additionibus (1) circumferebantur, gloriaeque sibi ducit, hebraicum librum *fideli testimonio simpliciter tradere* (2); mitius tamen deinceps s. doctor sensit, ipsaque graecae versionis additamenta latine vertit, eaque velut sacrae Scripturae partem citat (3) laudans capitulum XIV I. *Esther* versum undecimum, qualis in nostra extat vulgata. Verba s. doctoris loc. cit. sunt: « Cum Moyse meretur audire: Qui est misit me, ad distinctionem eorum qui non sunt, de quibus in *Esther* legimus. Ne tradas sceptrum tuum his, qui non sunt. »

DICES: Ecclesia etiamnum permittit, ut in vulgata latina postremis capitibus 1. *Esther* interserantur verba *Hieronymi* testantis, ea in hebraico non haberi etc., apud nullum interpretem reperiri; prout videre est in dicta vulgata *Esther* cap. 11 post versum 1 et cap. 13 post versum 7. Ergo ecclesia cum s. *Hieronymo* monere nos voluit, capita illa non esse authentica. R. Nego cons. Ecclesia monere nos voluit, quod monuit hic s. *Hieronymus*, nempe dicta capita non fuisse in hebraico tempore huius s. patris, fuisse tamen tunc in versione graeca

(1) Vide *Calmeti* praefat. in 1. *Esther*.

(2) S. *Hieronymus* praefat. in 1. *Esther* ita pergit: « Vos autem, o Paula et Eustochium, quoniam et bibliothecas hebraeorum studuistis intrare, et interpretum certamen comprobastis, tenentes *Esther* hebraicum librum per singula verba nostram translationem aspiciate, ut positus agnoscere, me nihil etiam augmentasse addendo, sed *fideli testimonio sim-*

LXX interpretum, ut *Hieronymus* in sua versione latina, seu in nostra vulgata clare ait *Esther* cap. 10 post versum 3, quo hoc ipso authentia illorum capitum stabilitur; simul autem patet, quod s. *Hieronymus*, dum *Esther* cap. 13 post vers. 7 dicit: *Quae sequuntur... apud nullum penitus feruntur interpretem*, per interpretem non intelligat LXX senes (hi enim haec, ut dixi, habent), sed alios interpretes vel recentiores eo tempore patres. Caeterum ipse s. *Hieronymus*, ut supra (4) iam observavimus, Commentario suo in prophetam *Ioel* c. 1 statim ab initio citat ex *Esther* cap. 14 v. 11, perinde ac ex alio libro canonico. Si tamen quandoque plus dixisse videatur, id dixit ante definitionem ecclesiae, ut pariter iam supra citato loco indicavimus.

73. ARGUM. III. Septem postrema capita 1. *Esther* a canone excludunt etiam plures doctores catholici, *Hugo card.*, *Nicolaus de Lyra*, *Dionysius Carthusianus*, et post Tridentinum *Sixtus Senensis* ac recentior *Elias Dupin* doctor sorbonicus (5). R. Tres primi ex citatis auctoribus ante concilium tridentinum floruerunt, indeque eos excusari posse existimat *Hermannus Goldhagen* (6), quod s. *Hieronymi* opinionem non satis examinatam secuti fuerint, quorum tamen privato errori communis alicuius auctorum ipsiusque ecclesiae catholicae sensus opponitur. De *Elia Dupin*, et *Sixto Senensi* iam supra (7) diximus, nil ex eo

placiter, sicut in hebraeo habetur, historiam hebraicam latinae linguae tradidisse. »

(3) Commentar. in *Ioel*, c. 1.

(4) Num. 72.

(5) *Prolégomènes sur la Bible*.

(6) *Introduct. in s. Script. p. 2, sect. 2, num. 117, argum. 3.*

(7) Num. 12.

rum sententia contra catholicum sacrorum librorum canonem probari. Id solum hic cum *Bellarmino* repeto, rationem illam ob quam *Sixtus Senens.* putavit, 7 postrema l. *Esther* capita non esse a Tridentino declarata canonica; cum Tridentinum sess. iv in decreto de canonicis Scripturis approbavit tantum libros *cum partibus suis*; posteriora autem 7 capita, ut *Sixtus Senens.* quidem censuit, non sint partes, sed tantum pannosa addita-menta libri *Estheris*, rationem, inquam, hanc huius auctoris esse infirmam, imo prorsus nullam. Alias enim singula aliorum ss. librorum capita liceret in dubium vocare, an sint partes illius libri, uti *Bellarminus* (1) recte observat. Dein ea ut partes ss. librorum probavit concilium tridentinum, quae in veteri vulgata latina editione habentur: atqui haec 7 postrema capita l. *Esther* ibi habentur (2): ergo. Praeterea ea ut partes agnovit concilium trident., quae in ecclesia catholica legi consueverunt: atqui haec 7 capita leguntur in ecclesia, ut pariter supra (3) demonstravimus: ergo. Valeat igitur hic seria *Origenis* de his capitibus probatio epist. ad *Iulium afric.* dicentis (4): «Vide ne imprudentes et inscientes, abrogemus exemplaria, quae habentur passim in ecclesiis.» Unde etiam merito, prout *Antonius a Matre Dei* (5) refert, «iussu sanctae inquisitionis in Sixto Senensi expuncta est sententia, quae ultima libri huius (i. e. l. *Esther*) capita inter apocrypha ponit.»

74. ARGUM. IV. Ultima 7. capita l. *Esther* multoties in rebus historicis, aut in chronologicis pugnant

(1) Vide supra num. 12 in notis. Aut ipsum *Bellarminum* lib. 4 de Verbo Dei, c. 7.

(2) Vide supra num. 69.

cum prioribus huius libri capitibus hebraice extantibus, ut ex inductione locorum pugnantium patet: ergo non sunt canonica. R. Nego ant. Contrarium ostendemus in solutione sequentium quaestionum, ubi apparentes antilogias, et paradoxa, quae vel protestantes, vel alii religionis nostrae hostes contra librum *Esther* aut ultima *Estheris* capita in medium proferre solent, dissolvemus.

SCHOLION. Protestantes dum ob nonnullas historicas, aut chronologicas addita-menta *Estheris* reiciunt haud videntur advertere, quod hac ratione arma theistis suppeditent, quibus adversus plures s. Scripturae libros, v. g. *Pentateuchum*, utantur, quem non dissimilibus impugnant argumentis. Melius hoc perspexit celebris eorum e numero *Drusius*, qui occasione quarundam in haec ipsa *Estheris* capita obiectionum sapientissimam illam statuit critices regulam, quam supra (6) recitavimus.

75. QUARES V. *An credibile sit, quod rex Assuerus* (*Esther* 1 v. 5) *ad convivium* INVITAVIT OMNEM POPULUM, QUI INVENTUS EST IN SUSAN, A MAXIMO USQUE AD MINIMUM: ET IUS- SERIT SEPTEM DIEBUS CONVIVIVM PRAE- PARARI IN VESTIBULO HORTI ET NEMO- RIS, QUOD REGIO CULTU ET MANU CONSITUM ERAT? R. Apparens haec difficultas evanescit, si ad sequentia attendatur. 1. Hoc convivium non uno eodemque die, sed continuis *septem diebus* celebratum est. 2. Soli viri et personae masculini sexus ad hoc convivium a rege *Assuero* invitabantur. Foeminas enim regina *Vasthi* ad convivium in alio loco separato, nempe *in pala-*

(3) Ibidem.

(4) Vide supra prope finem num. 70.

(5) Prol. Isag. de l. *Esther*.

(6) Num. 16.

tio celebrandum invitaverat; prout *Esther* cap. 1. v. 9 expresse dicitur his verbis: *Vasthi quoque Regina fecit convivium foeminarum in palatio.* 3. Non totus populus simul, sed in certas classes, e. g. in septem cohortes distributus, intra spatium septem dierum successive, et per partes illo regio convivio reflectus fuisse, censendus est. 4. Imo cl. *Bullet* (1) censet, hoc convivium etiam intra decursum cuiuslibet diei ex illis septem repetitum fuisse pro diversitate caetuum convivantium sibi succedentium; ita ut uno caetu saturato mox succederet alius, et sic successive non unus duntaxat caetus una eademque die convivarentur. Haec omnia si simul sumpta spectes, haud difficulter capies quomodo plura hominum millia intra spatium septem dierum illo convivio regio successive convivari, et opipare refici potuerint.

Quod si neget, convivas sibi successisse, velisque universam civitatem simul occubuisse, ignarum te produs omnium rerum antiquarum. Quid enim tam pervulgatum, ac luxus veterum principum, maxime asianorum? Quid certius solemnibus epulis hunc in modum, i. e. cum successione novorum et novorum hospitem protractis? Non contenti in conviviis agitandis diem nocti iungere, prolatabantilla adlongius tempus, admirabili ordine, magnificentia singulari, prout erudite narrant *Ioannes Guillelmus Stuckius* (2), *Iulius Caesar Boulengerus* (3), *Chri-*

(1) Réponses critiques, tom. 3, n. 26.

(2) In opere *Antiquitatum convivalium*.

(3) In opere *de Conviviis*.

(4) Dissertat. de comessationibus veterum.

(5) *Athenaeus* iste naucratensis aegyptius, seculo II, regnante *M. Aurelio* imperatore vivebat, eratque graecus grammaticus, qui praeter alia opus eruditissimum scripsit, cuius titulus est: *Athenaei*

stianus Gottlieb Schwarzius: ex antiquis vero *Athenaeus* (5), ex quo iuvat sequens exemplum adducere de *Ariamne* ditissimo gallo, qui omnibus gallis non solum oppidanis, sed et rusticis et extraneis toto anno convivium exhibuit. «Idem *Philarchus*, inquit modo laudatus auctor (6), libro tertio scribit, *Ariamnem* Gallum ditissimum Gallis omnibus promississe, futurum anno se toto convivatorem: idque praestitisse hac ratione et diligentia: opportunissimas vias tractuum regionis illius mansionibus divisit, et obsedit, ac in illis ex arundinibus, palis, et amerina salice tabernacula extruxit, quae trecentos circiter viros caperent, vel etiam plures, quantum locus permetteret, ut comode ex oppidis atque vicis concursura multitudo exciperetur: illic ahena magna carnibus omnifariis plena statuit, quae anno prius antequam id futurum esset, accitis ex oppidis artificibus, fabricanda curaverat: quotidie multas hostias immolavit, tauros, sues, aliasque pecudes: multa vini dolia comparavit, polentaeque iam subactae plurimum: eaque rerum copia voluit frui non solum eos qui ex urbibus et pagis adventabant, sed praetereuntes externos homines, quos ei negotio praefecti servi non dimitterent, priusquam epularum fuissent participes.» En! exemplum convivii per integrum annum protracti, in quo singulis diebus succedentes sibi identidem aliae atque aliae turmae saturabantur.

Deipnosophistón, vel *Deipnosophistarum* libri 13. Idem opus *Isaacus Casaubonus* recensuit, et ex antiquis membranarum supplevit, auxitque, ac notis illustravit; textum vero graecum *Athenaei* in latinum transtulit *Iacobus Daleschampus* cadomensis, adiectis notis marginalibus, cum necessariis indicibus.

(6) L. 4 *Deipnosophist.* n. 76.

76. QUÆRES VI. *Quomodo verba illa* (Esther 2, v. 16) *DUCTA EST ITAQUE* (Esther) *AD CUBICULUM REGIS ASSUERI, intelligenda sint, cum iuxta legem divinam* (Deuter. 7, v. 3) *foeminae iudaeae non licuerit nubere alienigenae, minuseius concubinam agere?* Antequam respondeam, observo, quod *Ioannes Clericus*, quem hac in re increduli avide sequuntur, *Estherem* gravissime accuset, quod nupserit regi gentili. Verum ñ. Pensanda sunt adiuncta, et divinus instinctus. Certe clarissimi interpretes *Gaspar Sanctius*, *Serarius*, *Calmetus*, et praeter plures alios recentissime *Alphonsus Nicolai*, absque magna difficultate reginam *Esther* defendunt. Ostendunt enim gravissimis rationibus, potuisse eam salvis legibus nubere regi *Assuero*. Ipsa enim, sicut et aliae eiusmodi virgines, cum ad regem venirent, verae et legitimae eius uxores factae sunt, sed secundariae et minus principales: unde *concupinae* (1) vocabantur. Ubi *Cornelius a Lap.* (2) observat, matrimonium tunc initum fuisse per ipsum mutuum viri et foeminae consensum in copulam maritalem. Unde *Iosephus* (3) inquit: *Cum venisset ad regem Esther, ipse illa delectatus, eiusque amore captus, eam legitime duxit uxorem.* Non ergo peccavit *Esther* illis virginibus ad regem deducendis sese aggregando, aut permittendo, se ad cubiculum regis duci.

At DICES I. Regina *Vasthi* tunc adhuc erat in vivis: ergo *Assuerus*

(1) Vide *Tirinum* aut alios interpretes in Genes. c. 23, v. 6.

(2) Comment. in Esther, c. 2, v. 16.

(3) L. 11 Antiq. iudaic. c. 6.

(4) Curs. theolog. tom. 19 tractat. de matrimonio, dissertat. 3, art. 1, § 2.

(5) Vide *Cornel. a Lap.*, *Tirinum*, aliosve interpretes in Esther c. 2, v. 16; item cl. *Schramm* theologiae compend. t. 3, § 1228, scholion 3, card. *Gotti* theol.

non potuit alteri nubere, nempe *Estheri*. ñ. Nego cons. Ea enim aetate (supposito, quod polygamia iure naturae prohibita sit, nullique unquam sine divina revelatione, ut *Innocentius III*, c. Gaudemus de divort. ait, aut sine divina dispensatione licuerit plures uxores habere) sublata nondum fuerat dispensatio divina in lege ducendi plures uxores, et haec dispensatio, ut cl. *Billuart* (4) cum aliis (5) ostendit, etiam pertinebat ad gentiles. I. Quia Scriptura (6) refert, *Esau*, qui non erat de populo Dei, plures accepisse uxores, nec in hoc eum reprehendit. 2. Quia s. *Augustinus* (7) docet, *Iacob* licite accepisse plures uxores a *Laban* idololatra, in terra gentilium, scilicet Mesopotamia, ob inculpabilem quae tunc ibi vigeat consuetudinem: *Quando mos erat*, inquit, *peccatum non erat, nunc propterea crimen est, quia mos non est.* 3. Piissima *Esther* non fuisset passa se iungi in matrimonium regi *Assuero* iam habenti uxorem (licet enim *Vasthi* ab *Assuero* esset repudiata, manebat tamen vera ipsius uxor): neque *Mardocheus* vir timens Deum hoc coniugium consuisset et approbasset, si illicitum et invalidum fuisset.

Neque tamen inde sequitur, nunc adhuc esse licitam inter infideles polygamiam, quia *Christus* (8) omnia matrimonia, tam fidelium quam infidelium ad primaevam institutionem revocavit, vi cuius (9) *dimittet homo patrem et matrem, et adhaere-*

tom. 3, tract. 13 de matrimonio, q. 4, § 4, p. 337.

(6) Genes. c. 36, v. 2 et 5.

(7) L. 22 contra *Faustum*, c. 47.

(8) Matth. c. 19, v. 4-10; et *Marci* c. 10, v. 11.

(9) Genes. c. 2, v. 24. Ex quo textu Scripturae s. *Thomas* in 4. dist. 33, q. 1, a. 1, probari posse censet, polygamiam esse iure naturae prohibitam, ita disserens: *Il-*

bit uxori suae, et erunt duo in carne una.

DICES II. Nondum tamen sublata est difficultas, quomodo hebraea virgo licite matrimonio copulari potuerit gentili marito, *Esther Assuero*: ergo. ñ. Id peculiari Dei instinctu et dispensatione factum, qui et periculum omne seductionis ad vitia et idololatriam, propter quod lex illa matrimonium inter hebraeos et gentiles prohibens lata erat, ab *Esthere* avertebat, et ingens inde bonum (nempe iudaeorum liberationem ab interitu) eliciebat. Vide hac de re *Tirinum* (1). Accedit, quod hebraeis licuerit nubere coniugi gentili, quando erat spes convertendi coniugem infidelem ad veram religionem: regem autem *Assuerum* conversum fuisse ad cultum veri Dei, satis colligitur ex epistola huius regis, qua revocat prius decretum de iudaeis caedendis, ac contrarium edit, scilicet ut iudaei suos hostes mactent, utque huius diei memoriam festo quotannis recurrente celebrent. Ibi enim (2) ita ait: « Nos autem... in nulla penitus culpa (iudaeos) reperimus, sed e contrario iustus utentes legibus filios altissimi et maximi semperque viventis Dei, cuius beneficio et patribus nostris et nobis regnum est traditum, et usque hodie custoditur... Hanc enim diem Deus omnipotens, moeroris et luctus, eis vertit in gaudium.

77. SCHOLION. Quamvis severissi-

lud praecipue videtur esse de iure naturali, quod homini in sua institutione humanae naturae est inditum; sed quod sit una unius (et non plures simul) in ipsa institutione humanae naturae est inditum, ut patet Genes. 2: Erunt duo in carne una. Ergo est de lege naturae.

(1) Comment. in Exod. c. 34, v. 13.

(2) Esther, c. 16 v. 13, 16 et 21.

(3) Vide Deut. c. 7, v. 3; item III. Reg. c. 11, v. 2.

me prohibitum fuerit (3) hebraeis tam viris, quam foeminis, contrahere matrimonium cum gentilibus: id tamen certis in circumstantiis licitum erat. Sic Scriptura (4) sine addita reprehensione refert, quod *David* duxerit *Mancham* filiam *Tholmai* pagani regis Gessur. Similiter *Samson* cum philisthaea licite matrimonium contraxit iuxta communiorum interpretum sententiam (5). *Salmon* quoque ex tribu Iuda nobilissimus duxit *Rahab* ierichontinam, ex qua genuit *Booz* (6); et *Booz* patrem imitatus duxit *Ruth* moabitidem, cuius nuptiae magno populi applausu celebratae sunt (7). Praeterea duo filii *Noëmi* prae nimia fame in regionem moabitidem peregrinati, ibi acceperunt uxores moabitidas, quarum una vocabatur *Orpha*, altera *Ruth* (8). Ratio autem, cur haec matrimonia fuerint licita, fuit una ex sequentibus.

I. Si alienigena convertebatur ad religionem iudaicam, licitum erat cum tali inire matrimonium, etiamsi fuisset chanaanæus vel chanaanæa, quibuscum alias severissime erat prohibitum contrahere matrimonium. Tunc enim cessabat ratio legis prohibentis, nempe periculum perversionis. Unde expresse permittitur (9) hebraeis, ut si e captis in bello mulieribus cernerent aliquam foeminam gentilem, quam ducere vellent, fierent caeremoniae quaedam, quae erant abiuratio publica prioris falsae religionis foeminae illius, et sic acciperent illam. Hinc non mirum, quod *Salmon* duxerit meretricem chanaanæam *Rahab*; quia

(4) II. Reg. c. 3, v. 5; et I. Paralip. c. 3, v. 2.

(5) Vide s. Scriptur. contra incredulos propugn., V. T., p. 2, sect. 2, n. 30.

(6) Matth. c. 1, v. 5.

(7) Ruth c. 4, v. 11.

(8) Ruth c. 1, v. 4.

(9) Deut. c. 21, v. 10-14